

5 COMPENDIOSA
SCIENTIÆ PHYSICÆ
DOCTRINA

Assertionibus Proposita, Rationi-
bus Firmata, & Propugnata

IN

Almâ Cæsareo-Archiducali Uni-
versitate OEnipontana

PRÆSIDE

P. FRANCISCO PLAWENN
Societatis Jesu Philosophiæ
Professore Ordinario & nunc
Decano


A Perornato & Doctissimo Domino

CHRISTIANO LECHTALER
Nauderensi AA. LL. Baccalaureo
Metaphysices SS. Canon. & Instit.
J. C. Studioſo.

Mense Julio. Anno M. D. C. LXXXI.

OENIPONTI.

Typis Benedicti Caroli Reitacher, Typo-
graphi Cæsareo Academici.



*Illusterrimo & Excellentissimo
Domino Domino*

**JOANNI COMITI
DE SPAUR**

Pflaumb & Valör, Pincernæ He-
reditario Archiducalis Comitatūs
Tyrolis,

S. C. M. Consiliario Intimo &
Camerario, Præsidi Excelsi Regiminis Pro-
vinciarum, Sup. Aust. ac Domino Pignoraticio
Dynastiarum Naudersperg &
Lavdegg, &c.

Domino Domino meo gratiosissimo.



*Randi verterem mihi piaculo Illu-
strissime & Excellentissime Domi-
ne, Patrone gratioſiſſime, ſi de-
ſcensurus in arenam Philosophi-
cam, neglecto proprio Domino,
circumſpexiſſem mihi de alieno,
ſub cuius auſpicijs certamen inirem, & adverſantium
intorta tela vel innoxiuſ exciperem, vel ijs retortis
propriuſ auctorem peterem. Hac labe ut me redde-
rem exiſtum, continuo mentem, oculosque ad Te,
Illuſtrissime & Excellentissime Domine converti.
Letor ego & mecum tota patria mea, Tuis nos ſub-
jectos imperijs, Tuο ſub dominio ſuavifſimam nos vi-
tam exigere. Gratulamur ex intimo cordium no-
ſrorum Tibi, Illuſtrissime & Excellentissime Domine,*

præter alia quæque sublimia quibus natus, factusque
es, Dynastiam Nauderspergensem, Patriam no-
stram carissimam, quæ tuo juri Pignoratio subdita,
Tuis nutibus regitur. Hæc gestientis animi exulta-
tio ad Dominum meum compellit, ut laborum meo-
rum primitias, velut maturatam messem ex agro
Philosophico integrum triennium collectam Eidem
consecrarem. Fateor tamen, me vix non à proposito
revocatum esse, contemplatus messis hujus tenuita-
tem, & Nominis tui Celsitudinem; sed continuò pa-
nicum abstersit timorem perspecta mibi agendi ratio-
cum subditis, quæ superior Patestas uti consuevit;
hæc non tam querit pretium in munere, quam offerentis
inclinatam in Dominum, promptamque voluntatem
arbitratur. Itaque digneris Illustrissime & Excel-
lentissime Domine, Patrone gratiissime; hunc pri-
mum laborem meum ex integerrima submissa mentis
scaturigine profectum, velut primitias tenuis ingenij
eo affectu suscipere, quo labores & studia subditorum
tuorum adhuc respexit, & approbasti.

Illustrissimæ & Excellentissimæ
Dominationis Tux.

Servus obstrictissimus.

Christianus Lechtaler Nauderensis

P R A E F A T I O.

NON abs re futurum existimabam, si, quam doctrinam Scientiae Physicæ longa diductione in prælectionibus publicis proposueram, eandem arctius contractam exhiberem legendam in pauculis pagellis: servient istæ, præsertim Dominis meis Auditoribus, ad refri- candam memoriam eorum. quorum solers studium olim excolebat animum, & recreabat.

De Corporis naturalis Prin- cipijs.

ASERTIO I. Principium est illud primum, unde aliquid est, aut fit, aut cognoscitur, ita Philosophus: dicitur primum, scilicet non absolute semper, sed in eo genere, in quo est principium, atque in hoc genere non debet habere aliud ante se. Sic forma verè est principium corporis in facto esse, quia nihil aliud tanquam forma principiat totum in facto, licet materia & privatio etiam tempore formam præcedant. Complexus est Aristoteles sua definitio- ne tam principia intrinseca illis verbis, unde aliquid est, quam extrinseca, realia, & intentionalia, realia quidem, cum dixit: unde aliquid fit, ut ignis ab igne &c. intentio- nalia, unde aliquid cognoscitur, dum nempe per conclusio- nem deductam ex premissis velut proprijs principijs inno- tescit objectum materiale terminativum.

Quantijs autem allata definitio videatur peccare in le- ges Logicas, dum principium in genere acceptum explicat per species contentas, non ideo ut inutilis & inepta rejici- enda sit: Philosophus enim hinc, sicut & in alijs materijs saepe non tam attendit ad rigorem logicum, quam ad ordinatum methodum, & doctrinæ claritatem, quam sua defini-

Assertio I. § II.

tione principij exactè consecutus est. Ceterum si placet habere definitionem principij, in qua à speciebus contentis abstrahatur, dicendum est cum S. Thoma, principium esse id, unde aliquid quomodocunque procedit.

ASSERTIO II. Tria sunt principia corporis naturalis in fieri, scilicet **materia**, **forma**, & **privatio formæ unitæ** primo mutationis instanti: duo in factō esse, nempe **materia** & **forma unita**. Corpus in fieri mutativo formaliter est compositum substantiale, quod nunc est & immediatè anīè non fuit: in factō compositum substantiale, abstrahendo, an immediatè antè fuerit vel non fuerit. Jam sic: Tot sunt principia intrinseca alicujus rei, quot partes constitutivæ ut quod; sed partes constitutivæ ut quod corporis naturalis in fieri sunt tres enumeratæ, & in factō duæ; hæc enim denominatio: *jam est totum*, & immediatè antè non fuit, neque realiter dari potest, neque immediatè affirmari sine privatione, priore instanti excludente formam subjecto unitam, neque sine forma secundo instanti unita, neque sine materia utroque instanti existente. Similiter nequit dari realiter aut immediatè concipi hæc denominatio: *existit compositum substantiale* sine materia & forma unita: ergo corporis naturalis in fieri sunt tria principia intrinseca, & duo corporis in factō.

Obijci potest. *Terminus* à quo non est intrinsecus rei, quæ sit: sic locus à quo incipit ambulatio, non est ambulatio intrinsecus; sed privatio est terminus, à quo sit corpus naturale: ergo corpori naturali in fieri non est intrinseca: igitur neque illius principium. 2. Forma denominans est intrinseca toti denominationi, actio productiva formæ est forma denominans aliquid mutari: ergo est intrinseca toti mutationi, consequenter etiam ejus principium, Rx. ad 1. subinde terminum à quo esse intrinsecum rei, quæ sit, sic pars, à qua incipit linea, intrinseca est linea: pari ratione dico, privationē esse intrinsecam toti in fieri, hoc ipso quod immediatè affirmetur in tali toto. Ad 2, Rx. actionem productivam esse formam denominantem aliquid mutari causaliter, non formaliter. Aristoteles autem tantum assigna-

vit principia mutationis formalis consistentis in composito,
quod nunc est, & immediatè antè non fuit; in hoc autem
conceptu formaliter actio productiva non involvitur.

Ob. 2. Privatio neque 1. neque 2. instanti principiat totum in fieri: non 1. quia tunc nondum datur principiatum adæquatum, non 2. quia tunc nihil est: videtur autem fieri non posse, ut aliquid tunc causet totum, quando nihil est: ergo privatio neque 1. neque 2. instanti principiat totum in fieri. Resp. privationem principiare totum 1. solum instanti. Nam hoc discriminem inter causas extrinsecas & intrinsecas intercedit, quòd illæ concurrant ad effectum adæquatè à se distinctum, istæ verò ad effectum, cum quo habent identitatem inadæquatam: hinc causare intrinsecè, est se dare toti secundùm illud esse, quod pars habet. Unde sic arguo: privatio causat totum secundùm illud esse, quod habet; sed illud esse tantùm datur 1. instanti: ergo causat totum 1. tantùm instanti. 2. Unio causat totum ut quo per illud esse, quod est unio: ergo etiam privatio causat totum per illud esse, quod est privatio, sed unio causat totum tunc quando est: ergo etiam privatio, scilicet 1. instanti.

3. In Sententia valde recepta, quam nos quoque ampli-
xi sumus, coaſtituente negationem formalem in puro nihilo, quid quid affirmatur de negatione, censetur negari de forma negationis opposita: hujus ergo propositionis; privatio principiat utroque instanti, hic erit sensus: forma positiva neque 1. neque 2. instanti principiat totum in fieri, quod utique verum non est. Hinc ad objectionem R. conc. aut. dist. cons. ergo privatio non principiat 1. instanti ut quod & ut quo conc. ut quod, nego cons. vel aliter: ergo privatio non potest 1. instanti denominari principium completum conc. non potest dici, posuisse id, quod ex parte sua requiriatur ad totum, nego cons.

ASSERTIO III. Datur materia prima, que est subiectum primum uniuscujusque, ex quo fit aliquid, cùm insit perse, & non secundùm accidens. Prob. quando ex uno fit aliud, debet in hoc alio remanere aliquid, quod priùs erat in illo uno; sic quando ex pallio serico fit toga serica, debet ex

pallio remanere tela serica , & esse pars togæ sericæ , sicut antè fuerat pars pallij. Atqui in hoc universo fit unum substantiale ex alio v. g. ex ligno ignis, ex aëre aqua , ex ovo pullus, ex semine arbor &c. ergo in igne novo debet esse aliqua pars, quæ priùs erat in ligno, & quidem pars substancialis; quia totus ignis & totum lignum est substantia , hoc remans est materia prima , quia non fit ex alia , ex illa verò sunt diversæ formæ, cum quibus constituit diversa composita : ergo &c. Hinc patet bonitas definitionis allatæ. Dicitur enim *subjectum primum*, eò quòd ex alio subjecto non fiat ; dicitur *uniuersiusque* , scilicet formæ substancialis , quam de se successivè potest recipere : *ex quo fit aliquid* , & quidem intrinsecè tanquam ex parte totum substantiale , & hoc significant voces , cùm insit per se & non secundum accidens , partim quia est substantia , partim quia subit partem essentialem totius. Ob. Artem inter & naturam datur similitudo in operando; ergo sicut artis opus cōsurgit tantum ex combinatione rerum aliunde existentium , ita quoque naturæ opus consurget ex combinatione rerum aliunde existentium , consequenter ruit argumentum ex nova generatione substanciali petitum ad probandam existentiam materiæ primæ. Rx. artem non in omnibus imitari naturam , alias certè quemadmodum artis opus v. g. *imago animalis picta non vivit* , ita pariter ipsum animal velut naturæ opus vivere non deberet. In hoc itaque paritas artis cum natura tenet , quòd sicut ars supponit materiam secundam , cui formam suam inducat , ita natura supponit materiam primam , cui suam formam addat.

ASSERTIO IV. *Materia prima existit per existentiam propriam non verò per existentiam formæ.* Prob. 1. Existencia non distinguitur realiter ab essentia , ut hic ex Metaphysica suppono ; sed materia habet essentiam distinctam ab essentia & existencia formæ: ergo & existentiam. 2. Materia etiam juxta Advers. est causa physica sustentativa formæ materialis. Jam sic : omnis causa ut causa debet existere , quando physicè agit , aut patitur ; sed essentia materia est causa sustentativa formæ materialis : ergo debet existe-

re, quando sustentat formam : sed quando concipitur ut causa sustentativa , non dum concipitur forma , nec formæ existentia ; hæc enim sunt posteriora naturæ : ergo ex parte causæ sustentativæ debet concipi existentia distincta ab existentia formæ. 3. Actio productiva supponit pro priore naturæ causam physicam ut existentem, à qua ut existente profluit: ergo etiam forma velut posterior actione supponet causam physicam ut existentem , consequenter alia est existentia causæ ab illa , quâ forma existit.

Ob. 1. Existentia formæ non minus quam quantitas unitur materiae : ergo sicut à quantitate denominatur quanta, ita ab existentia formæ trahet denominationē existentis. Rq. dist. cons. materia denominatur , quanta à quantitate , quia hanc denominationem aliunde non habet, sicut aliunde habet denominationē existentis quam ab existentia formæ, conc. si aliunde etiam haberet denominationem quantæ, nego cons. Ideo sanè etiam juxta advers. forma non denominatur existens per existentiam accidentium sibi unitorum , cùm aliunde trahat denominationem existentis. Cæterum ut forma tribuat subjecto denominationem, subinde requiritur illius cum subjecto identitas, subinde unio immediata , nonnunquam sufficit unio mediata. Sic essentia tribuit actum essendi subjecto , cum quo identificatur , intellectio intelligenti per unionem immediatam , color colorato per unionem mediatam , existentia essentiæ per identitatem vel saltem per unionem immediatam.

Ob. 2. Sicut Deus, eò quod sit purissimus actus, excludit ab identitate omnem potentiam , ita ex eo quod materia sit pura potentia excludit omnem actum , consequenter existentiam. Resp. materiam excludere omnem actum physicum, sicut Deum potentiam receptivam physicam formæ, non verò omnem actum metaphysicum , seu perfectionem actualem.

Ob. 3. Secundum Aristotelem 7. met. textu 29. ex duobus entibus actu non potest fieri unum per se; sed ex materia & forma fit unum per se: ergo materia non potest esse ens actu. Resp. disting. maj. ex duobus entibus actu

Assertio. V.

completis non sit unum ens per se conc. incompletis nego
maj. & cons. Utique enim compositum physicum constare
debet partibus realibus; at qui nihil est reale nisi actu exi-
stens: ergo partes debent actu existere, consequenter ex
pluribus actu potest fieri ens per se.

ASSERTIO V. *Materia naturaliter nequit existere sine*
omni forma substantiali, bene supernaturaliter: estque na-
turaliter ingenerabilis & incorruptibilis. Probatur 1. pars.
Naturaliter existit, quod est juxta exigentiam naturæ cre-
atæ, materia sine omni forma substantiali non est juxta exi-
gentiam naturæ creatæ; hæc enim non petit materiam
propter alium finem, quæ ad faciendum cum forma sub-
stantiali compositum: ergo sine forma substantiali natura-
liter non existit materia. 2. Teste experientiâ agens ap-
PLICATUM NUNQUAM PELLIT ex materia formam substantiali,
nisi hoc ipso novam introducat: ergo naturaliter nun-
quam erit sine omni forma substantiali. Secundæ partis
hæc est ratio: materia non magis connectitur cum forma
substantiali, quæ accidens absolutum cum substantia;
finis enim accidentis est substantia, non autem materiæ
forma, sed totum compositum; ergo sicut non obstante
hac connexione accidens supernaturaliter potest existere
sine substantia, ut patet in Mysterio SS. Eucharistiarum, ita
pariter materia sine forma substantiali. 2. Tamdiu exi-
stit materia naturaliter quamdiu servit ad finem Dei ut
Auctoris naturæ: ergo etiam poterit supernaturaliter exi-
stere, dum Deo servit ad finem ut absoluto Domino. Hic
ergo dum invenit finem exquisitum pro existentia acci-
dantium sine unione cum substantia, quid nî alium invenire
possit pro existentia materiæ sine forma substantiali? Pro-
tertia parte sic urgeo: subjectum primum non est genera-
bile ex alio priore; esset enim & non esset primum; sed ma-
teria est subjectum primum: ergo. Pari ratione materia
debet esse incorruptibilis naturaliter: totum substantiale,
quod viribus agentium creatorum corruptitur, definit in
aliud, cuius sit pars intrinseca, sed non potest definere in
aliud, cuius sit pars intrinseca, nisi remaneat pars ex toto

corrupto: ergo, hæc pars non est forma nec unio: igitur materia. 2. Non potest materia corrupti defectu causæ efficientis applicatae, quæ est Deus: neque ratione contrarij producti, cùm amicitiam colat cum qualibet forma; neque ratione naturæ creatæ exigentis tantum pro aliquo tempore existentiam materiæ, illa enim cùm amet specierum perpetuitatem, destructionem moliri nequit illius, quod necessarium est ad conservationem specierum, talis est materia. Denique neque ratione alicuius indispositionis ab extrinseco illatae; hæc enim indispositio non afficit materiam, sed formam, quæ dum ad interitum præparatur, simul viam pandit novæ formæ, ad quam indispositio prioris formæ sit dispositio ad novam.

Ob. 1. In repentina & violenta morte pellitur anima, cui nulla alia succedit forma. 2. Anima rationalis potest naturaliter existere, licet sit substantia incompleta: ergo & materia. 3. Materia creatur: igitur est independens per unionem à forma. Resp. ad 1. succedere formam cadavericam formæ corruptæ productam à causis universalibus juxta exigentiam naturæ. Ad 2. Resp. animam rationalem, cùm habeat contraria molientia interitum dispositiōnibus ad operandum ab anima requiritis, ideo posse subire dissolutionem à corpore, sed tamen adhuc naturaliter existere, cùm potens sit exercere suas operationes nobilissimas etiam extra corpus, sicque obtineat suum finem, quo caret materia carens formâ substantiali. Ad 3. Resp. materiam non dependere à forma tanquam à priore, sed tanquam à posteriore, in quantum Deus indivisibiliter materiam & formam decernit, sed hanc propter illam.

Ob. 2. Materia simpliciter non potest existere sine omni forma accidentalī: ergo neque sine substantiali. 2. Esset ens in actu sine actu: ergo neque supernaturaliter potest existere sine forma substantiali. 3. Esse accidentale non habetur sine forma accidentalī: ergo nec substantialē sine forma substantiali. 4. Materia & forma sunt correlativa, sed hæc debent semper simul dari: ergo. Resp. ad 1. negando cons. & paritatem; nam Materia sine ubicatione, du-

xatione &c. non est apta servire ad finem etiam supernaturalē, apta tamen est carens forma substantiali. ad 2. Resp. Ens in actu accidentalī potest esse ens sine actu substantiali. Ad 3. Resp. omne accidens ex suo conceptu dicere formam, igitur esse accidentale non potest haberi sine forma accidentali, at verò substantialia non dicit essentialiter formam. Ad 4. Resp. correlativa relatione prædicamentali mutuam cōexistentiam importare, non verò relatione transcen-dentali.

ASSERTIO VI. Materia appetitu remoto appetit for-mas substantialies & quidem equaliter, appetitu proxima-unam speciem p̄ alia, sed non unum individuum ante aliud. Probatur 1. pars. Appetitus innatus est inclinatio rei in bonum debitum. Jam sic: Id appetit materia, per quod consequi debet finem suum naturalem; sed hunc consequi-tur per formas substantialies, quibus unita facit compositum substancialie: ergo. Et quoniam completum substancialie sub hac ratione formalī non suscipit magis vel minus, hinc non minus habetur per formam minus præstantem, quam per præstantiorem: igitur materia etiam non magis appe-tet præstantiorem p̄ minus præstante. 2. Non potest ex-surgere artefactum inconveniens ex eo, quod appetitus na-turalis expleatur optimo modo; sed si materia appetendo formam nobiliorem magis p̄ ignobiliorē optimo modo expleretur, exsureret artefactum inconveniens, scilicet darentur soli homines in rerum natura, sicut tolleretur summa pulchritudo consistens in diversarum sp̄cierum multitudine: ergo. 3. Tot existerent in materia respectus formaliter diversi, quot sunt formae diversae possibles, haec sunt infinitae: ergo & tales respectus, consequenter materia esset naturaliter incomprehensibilis. Secundæ partis haec est ratio; quia materia certo apparatu accidentium exculta non amplius indifferens est ad quamcunque formam: ergo exigit unam speciem p̄ alia, illam scilicet, ad quam per accidentia determinata est. Non tamen unum individuum p̄ alio, partim quia unum illi non minus bonum est, quam alterum, partim quia individua non discernit.

De Corporis naturalis principijs.

9

Ob. 1. Forma præstantior est melior: ergo magis appetitur. 2. Appetitu elicito magis appetimus id, quod est melius: ergo etiam innato. Resp. ad 1. est melior in se conc. ipsi materiae, nego. nam augmentum bonitatis respectivae desumendum est à conducedentia ad finem; sed una forma præ alia non habet majorem conducedentiam ad finem materiae: ergo. Ad 2. Resp. qui appetitu elicito fertur in aliud, semper est finis cui illius; fieri autem potest, ut unum præ alio magis faciat ad hunc finem cui; ergo potest unum præ alio appeti. At vero materia non est finis cui formæ, neque una forma magis conduceat ad finem materiae: ergo.

ASSERTIO VII. Datur in rerum natura forma substantialis, estque pars essentialis compositi & prima radix operationum in toto repertarum. Ad quidditatem præter formam requiritur materia. Prob. 1. pars. Omni potentia responderet suus actus; materia est potentia physica substantialis: ergo illi responderet actus substantialis physicus, quem nos formam substantialē dicimus. 2. Experimur, quod aqua fervens & ferrum candens se reducant ad frigus remota ab agente contrario: item quod in animalibus aliquæ potentiarum impedianter ab actibus exercendis, quando animal uni obiecto se acriter intendit: ergo debet dari in aqua, ferro & animali radix, ex qua ejusmodi effectus proficiant, impedianterque reliquæ subordinatae potentiarum à suis functionibus; haec radix non potest esse sola materia, utpote de se indifferens ad omnem dispositionem: ergo aliquid aliud intrinsecum; hoc est forma substantialis: ergo existit forma substantialis, ac proinde ritè definitur esse pars essentialis compositi & prima radix operationum in toto repertarum. Ratio secundæ partis est, quia posita sola anima rationali nondum ponitur formaliter homo, ut patet in morte, per quam ratio hominis tollitur, non vero ratio animæ. 2. Essentia hominis consistit in his duobus, quod sit principium completum sentiendi & discurrendi dependenter à sensibus, haec duo soli animæ non conveniunt: ergo. 3. Juxta symbolum S. Athanasij ex carne & anima rationali sit homo: ergo essentiale hominis constitutionem etiam ingreditur materia.

Ob.

Ob. Idem est homo senex qui fuit juvenis, licet nihil habeat de materia, quæ fuit in juvenc : ergo materia non est pars essentialis hominis. Resp. juxta communiorum, etiam in homine adulto semper remanere aliquid de humido radicali, quod ex utero materno traxit, sicutque essentialiter & physicè est idem homo senex, qui fuit juvenis, licet non integraliter. Casu quo autem nihil remaneret de materia, quam juvenis habuit, tunc foret tantum moraliter idem homo senex & juvenis quoad corpus.

ASSERTIO VIII. *Modus physicus est formalis & ultima determinatio rei indifferentis indispensabiliter inhaerens determinato subiecto: est possibilis & defacto datur.* Quadruplicem rerum speciem possumus distinguere; prima complectitur id, quod est indivisible, & incapax alterius, quo per unionem perficeretur. Hoc ens est solus Deus, & ideo dicitur *purissimus Actus*. In secunda specie continentur ea, quæ habent naturam indivisibilem realiter, sed subsistunt subsistentiâ distinctâ, per quam fiunt totum aliquod suppositum. Tertiam speciem faciunt entia, quorum natura constat partibus distinctis, nempe materiâ & formâ, ut natura hominis, bruti, lapidis &c. Hæ partes, licet connaturaliter ad se ordinentur, ut compositum constituant, habent tamen indifferentiam, quâ materia jungi potest vel huic, vel alteri formæ: similiter forma indifferentis est, ut jungatur huic vel illi materiae, ut constat in anima rationali. Hinc oritur quarta rerum species, in qua continentur illa, quæ formaliter & ultimâ tollunt indifferentiam rei alicujus ad certam denominationem; adeoque illa quoad hanc denominationem non possunt amplius esse indifferentia: v. g. materia Petri fuit indifferentis, ut uniretur anima Petri, vel alterius: similiter anima Petri fuit indifferentis, ut copularetur huic vel alteri materiae: quando ergo huic materiae actu copulatur, adesse debet ens actu formaliter & indispensabiliter tollens hanc indifferentiam. Pari ratione quia Petrus indifferentis est, ut hoc vel illo loco extrinseco existat, hoc vel illo tempore extrinseco, tollenda est hæc indifferentia formaliter per aliud non indiffe-

zens. hæc entia non sunt entia absoluta , sed modalia ,
quarum essentia consistit in actuali determinatione rei in-
differentis , & in inhæsione indispensabili cum suo sub-
jecto.

Quod autem hujusmodi entitas modalis sit possibilis &
defacto detur , hac ratione fit manifestum : omnium Mo-
litor Deus coadidit materiam , & formas diversas cum in
finem , ut per istas diversæ compositorum constituerentur
species facientes ad ordinem & pulchritudinem universi :
ad hoc necessariæ sunt entitates modales , ut dictum est ;
ergo hæc entitates modales sunt possibles , & defacto dantur ,
quia defacto existunt ejusmodi composita .

Ob. Ideo juxta communem , repugnat corpus immobi-
le , quia licet de ejus essentiâ sit , excludere motum , non
admittit circa se dispositionem divinam , circa alia corpora
possibilem , sed etiam entitas modalis excludit dispositio-
nem divinam circa res quascunque possibilem , nempe pro-
ductionem termini sine subjecto inhæsionis : ergo patiter
repugnat entitas modalis . Resp. non ideo repugnare cor-
pus immobile , quod ipsius essentiæ repugnet motus , sed
quod aliunde talis corporis nulla possit ostendi necessitas ;
sed entium modalium necessitas aliunde comprobatur ;
hinc si illorum essentiæ repugnet , non esse in subjecto , mi-
rum non est , Deum non posse circa hæc entia dispositionem
exercere , quam potest circa res alias absolutas , Deus enim
non vult nec potest rerum essentias immutare .

ASSERTIO IX. *Unio physica est formalis determinatio*
extremorum ad faciendum unum per se : distinguitur realiter
ab extremis indifferentibus & unilibus : non tamen consistit
in ubicationibus , aut in actu primo proximo per dispositiones
completo : sed est entitas modalis . Realis distinctio unionis
ab extremis efficaciter convincitur ex separabilitate hoc
modo : S. Petrus nunc non est homo , & tamen nunc ejus S.
Corpus datur Romæ , & ejus S. Anima cælo recepta fruitur
*præmijs æternis : ergo ad hominem præter corpus & ani-
mam requiritur alia pars , hæc est unio : ergo &c. Ulterius*
ostendo , unionem esse modum : unio inter animam Petri
ejus-

ejusque materiam est formalis & ultima determinatio huius materiae ad hanc animam; alias si haec tria adhuc forent indifferentia ad hanc numero naturam humanam constitutandam, requireretur insuper aliud distinctum ad tollendam indifferentiam, quod assignari non potest. Deinde si nec animae nec corpori inhäceret, non tolleret illorum indifferentiam formaliter & intrinsecè,

Hinc unio inter partes substanciales, scilicet inter materiam & formam non potest constitui in illarum ubicationibus 1. quia haec sunt accidentia; unio autem debet esse substantia, cum sit pars intrinseca illius, quod est finis cui adaequatè distinctus à reliquis in toto repertis, scilicet ab omnibus accidentibus. 2. Sequeretur, Petrum fore patrem Pauli, si hunc transferret ex uno loco in alium, generaret enim Paulum producendo illius ubicationem, quæ esset unio; non enim aliter homo est Pater hominis, quam quia generat, & producit unionem inter materiam & formam rationalem alterius. Sed nec potest unio constitui in actu primo proximo per dispositiones completo; nam & hic actus pro parte involuit accidens.

ASSERTIO X. *Unio in composito substanciali est simplex, constans partibus integrantibus, & recipitur in utroque extremo incompleto.* Per unionē simplicē non intelligim⁹ hīc entitatē realiter indivisibilē, sed talem, quæ sit tam materiae quam formæ communis. Probatur haec pars: non potest percipi, quo pacto materiæ per unionem sibi propriam necatur formæ, per quam informetur, ut non simul forma per eandem copuletur materiæ: sicut fieri non potest, ut unus asservetur per gluten necatur alteri asservi, nisi hoc ipso etiam iste per idem gluten copuletur priori; sed per hoc quod materiæ formæ necatur, consurgit compositum per se à natura intentum: ergo ad hoc requiritur unica tantum unio. Secundæ partis haec est ratio: si unio essentialis esset entitas realiter indivisibilis, toties mutaretur unio, quoties per nutritionem anima rationalis unitur novæ particulae materiæ, aut quoties aliqua particula vi caloris nativi deperditur; consequens est contra communem sensum, & ex hac ratio.

ratione falsum: quia homo essentialiter sumptus conseq-
uenter, ut habens unionem est causa physica nutritionis,
nutritio autem est actio productiva unionis inter materiam
de novo advenientem animae rationali: ergo si unio con-
sistit in entitate indivisibili, tunc homo habebit unionem es-
sentiale, antequam illam recipiat, aut habebit duas to-
tales, dum nutritur: quod sine fundamento asseritur. Ter-
tiae partis haec est ratio: Haud inter duo intimè unita est
subjectum receptionis, quod potius perficitur, hoc est, quod
vel est finis cui alterius, vel ab altero nobiliora prædicata
in se derivat; sed ens absolutum, quale est materia, & for-
ma, est finis cui immediatus entis modalis: ergo ens abso-
lutm benè dicitur subjectum receptionis entis modalis.

De Natura & causis.

ASSESTIO XI. *Natura est principium, & causa motus
& quietis ejus, in quo est primù per se, & non secun-
dum accidens: ratio naturæ tam convenientia materie quamfor-
ma.* Nomine principij intelligitur pars intrinseca toti;
causa vero reducenda est ad motum & quietem, quos suc-
cessivè habere potest, non simul. Hinc quia materia simul
cum forma sunt partes essentiales totius, exiguntque de-
terminatas operationes, & quietem, ideo merentur dici
natura. Totum vero natura non est, sed constat natura,
et quod non sit principium, seu pars totius.

Ob. Materia ad quamcunque operationem, seu motum
est indifferens: ergo nullum determinatè exigit, & per con-
sequens non est natura. Resp. materiam secundum se spe-
& tam esse indifferente ad omnem motum, sicut tan-
tum esse quamcunque naturam in potentia, non actu, fieri
autem actu hanc naturam per ipsam formam, à qua sicut
determinatur ad hanc speciem compositi, ita determina-
tur ad exigendas operationes tali toti proprias.

ASSESTIO XII. *Violentum est, quod provenit ab ex-
trinseco, nullam vim conferente passo: potest Deus creaturis
inferre violentiam.* Illa actio ieu forma dicitur violenta
alicui

alicui toti, quæ producitur in toto ab extrinseco contra positivam inclinationem & exigentiam totius: sic calor violentus est aquæ &c. licet autem materia in se huiusmodi formam sustenteret, adeoque videatur aliquid conferre, re ipsa tamen nihil confert; quia ut habens determinatam formam, exigit tantum accidentia formæ amica, respuit autem accidentia formæ inimica. Secundæ partis ratio est: quia natura motûs violenti desumitur à termino motûs, prout hic repugnat inclinationi & exigentia positivæ illius, in quo est; hinc fieri nequit, ut ab eo velut à causa sui productiva profluat, consequenter semper requiritur causa productiva motûs & termini violenti adæquate distincta à toto, in quo motus violentus recipitur. Parum autem refert, sitne hæc causa extrinseca ens creatum cum Increato, vel solum Increatuum: ergo Deus etiam potest inferre violentiam creaturis, quia in illis potest collocare motum repugnantem inclinationi & exigentia positivæ.

Ob. Aquæ e.g. ad præsentiam ignis non debetur frigus in summa intensione: ergo non patitur violentiam, dum habet frigus in minore intensione; sed illud habet in minore intensione, dum insuper recipit aliquos gradus caloris: ergo isti non sunt aquæ violenti. 2. Nulla creatura resistit Deo: ergo ab hoc non potest violentiam pati. Resp. dist. ant. non debetur aquæ pro illis circumstantijs frigus in summa intensione conc. in illis circumstantijs, nego ant. & cons. volo dicere, quod ratio appetendi frigus in summa intensione non sit aqua & simul illæ circumstantiæ, quod foret appetere pro illis circumstantijs, sed ratio appetendi consistit in sola entitate aquæ, quæ collocatur in illis circumstantijs. Ad 2. Resp. disting. ant. creatura non resistit Deo, positivè & efficaciter volendo impedire actionem Dei, conc. habendo inclinationem positivam contrariam motui producto à Deo, nego ant. & cons.

ASSERTIO. XIII. Causa in genere est principium ex virtute suâ dans esse alicui ad existendum sibi in sufficienti. Datur in rebus creatis virtus productiva alterius. Ratio evidens docet, ens creatum non posse esse à se, sed ab alio;

hinc intellectus curiosus investigat, quid illud aliud sit; hoc autem est querere, quid sit causa. Itaque in definitio-
ne necessariò facienda est mentio de hac insufficientia te-
nente se ex parte rei producibilis, quod præstamus, dicendo,
causam esse principium ex virtute sua dans esse alteri ad exi-
stendum sibi insufficienti. Additur *ex virtute sua*, ut à ra-
tione causæ excludantur conditiones, quæ supponunt vir-
tutem causativam completam. Hæc porro virtus cùm sit
limitata, & nequeat omni loco effectum ponere, ideo requi-
rit ubicationem causæ vicinam subjecto, ex quo effectum
producat: consequenter ubicatio est tantum conditio, seu
applicatio causæ, ut etiam negatio impedimenti prohiben-
tis vim activam, ne in actum exeat.

Numerus quaternarius causarum sic eruitur: totum phy-
sicum dari non potest sine materia & forma unita, forma re-
quirit causam efficientem sui productivam, causa efficiens
quid quid operatur, operatur propter finem: præterea si sit
causa secunda, supponit materiam, ex qua formam edu-
cat. Et sic tandem perficitur opus à natura intentum: hoc
autem pacto quatuor requiruntur 1. causa efficiens 2. finalis.
3. materialis, 4. tandem causa formalis. Alterum mem-
brum probatur partim ex fide partim experientiâ. Ex fide,
quia juxta Concilium Trid. voluntas nostra non se habet
merè passivè in ordine ad actus meritorios vitæ æternæ, sed
eos physicè, & activè producit. Experientiâ; nam ex eo,
quod videamus ad ignem applicatum subjecto capaci con-
stanter sequi alium ignem, lucem, calorem &c. insuper
quod agnoscamus, in nobis vires imminui per laborem, &
per continua cùm corporis, tunc animi exercitamenta &c.
deducimus imperterritè, Naturâ ad hoc judicium nos com-
pellente, à nobis ejusmodi exercitamenta velut à veris cau-
sis proficiunt, uti & ab igne ignem, calorem, lucem &c. at-
qui hoc judicium esset falsum, si Deus omnia solus opera-
retur, quin nos deciperet, non fecūs ac histriones imponunt
spectatoribus, dum oculis aliud exhibent velut causam mi-
rabilium effectuum, interim autem veras causas occulte
substituunt. Ratio assertionis ulterior est ista: Ens crea-

tum activum est quid melius ente non activo ; sed Deus potest facere id , quod alio melius est : igitur facere potest ens creatum activum. Prodiisse autem à Deo tale ens, imprimis comprobant experientia superius tactæ, tum dispositio-nes , quas natura sollicitè subiecto inducit , ex quo tandem ipsa forma est educenda.

Ob. Inter ens & nihil datur distantia infinita : ergo ad producendum ens ex nihilo requiritur virtus infinita, quam creatura non habet. 2. Effectus in quantum fieret dependens ab agente creato , haberet à Deo independentiam, sed nulla creatura habet à Deo independentiam : ergo non potest ab agente creato dependere. Resp. ad 1. Inter ens & nihil dari infinitam distantiam extrinsecè , non formaliter , ad posteriorem verò requiri virtutem infinitam , non semper ad priorem. Extrinsecè ens infinitè distat à nihilo per hoc , quod inter illud ens & nihil possint interjici crea-turæ syncategoreticè infinitæ , quarum nulla attingat formalem perfectionem entis, de quo loquimur: infinitè for-maliter distat à nihilo ens , quod simpliciter est perfectio-nis infinitæ. Præterea hoc argumento solum probaretur , creaturam solam sine Dei concursu non esse sufficientem ad cuiuslibet effectus productionem, quod nos haud negamus. Ad 2. Resp. negando , quod effectus , dum sit dependens ab agente creato , fiat à Deo independentis ; non minùs enim illius actio productiva essentialiter & immediate respicit Deum , atque ab hoc procedit , quām respiciat agens crea-tum , ab eoque promanet.

ASSERTIO XIV. Prius naturâ ritè dicitur , esse illud , quod ut aliunde existens constituit actum primum proximum , ex quo per actionem aliud sibi insufficiens ad existendum accipit esse. Implicat pro eodem instanti mutua prioritas sive immediata , sive mediata , in eodem vel diverso genere. Prius & posterius naturâ possunt esse simul tempore: id ergo , quod procedit ab altero constitente causam completam , dicitur naturâ prius ; quia essentiam & naturam suam habet ab alio , quām ab eo , quod suum esse accipit per actionem profluentem ex actu i, proximo. Hinc manifeste

deducitur, duo non posse sibi mutuo esse causam eodem instanti temporis (nam diverso non repugnat) Prius enim est, quod aliunde habet suam naturam, & essentiam, quam ab eo quo dicitur prius: si igitur etiam hoc foret prius, necessariò alterum deberet trahere suam naturam ab hoc: ergo traheret & non traheret suam essentiam actuatam ab eodem, quod implicat. 2. Nihil potest per actionem à se provenientem primùm acquirere suam existentiam; utique enim per ambulationem non primùm consequor potentiam ambulandi, siquidem actus est fructus rei existentis; at qui concessa mutua prioritate, aliquid per actionem à se provenientem acquireret primùm suam existentiam; nam ignis A v. g. per actionem produceret ignem B, à quo primùm in rerum natura collocaretur: ergo per actionem à se derivatam consequeretur existentiam & suam naturam. 3. Idem esset prius se ipso: quidquid enim est prius priore, simile est prius posteriore, sed ignis A est prior igne B, & hic ipse ignis velut causa alterius foret prior hoc altero: ergo ignis A foret prior se ipso, quod repugnat.

Pro dissolutione objectionum adverte, frequenter afferri exempla, quibus tantum probatur, quod duo sint effectus simultanei, non verò mutuo sibi causa, ut patet in ingressu venti & apertione fenestræ, in ubicationibus duorum baculorum erectorum & ad se se invicem inclinatorum &c.

ASSERTIO. XV. Repugnat etiam de virtute Dei abso-luta reproductio sui ipsius tam immediata quam mediata: Item duplex actio totalis ejusdem effectus eodem instanti. Prob. prima pars: realis distinctio divinarum Personarum à SS. PP. & Theologis unicè determinatur ex oppositione producentis & producti, spirantis & spirati: hoc fundamentum esset invalidum admissa possibilitate reproductionis immediatae; malè siquidem inferres: Pater æternus producit Filium: ergo est realiter a producto distinctus. Nec sufficit dicere, reproductionem esse tantum supernaturaliter possi-bilem, Patrem æternum verò naturaliter producere Filium; jam autem signum realis distinctionis certum inter produc-tens & productum esse ipsam naturalem productionem;

quia licet visio beatifica respectu hominis & Angeli sit tantum supernaturaliter possibilis, Deus tamen naturaliter se videt: ergo pari ratione, quamvis reproductio respectu creaturarū tantum supernaturaliter dari possit, habebit tamen Persona divina virtutem naturaliter se reproducendi.

2. De ratione actionis productivæ est, ut sit nexus alicujus sibi ad existendum insufficientis, & alterius tollentis hanc insufficientiam; ideo enim natura intendit actionem, ut virtus activa agentis se possit diffundere & dare esse rei ad existendum sibi insufficienti: ergo ibi non habet locum actio, ubi formalis indifferentia ad existendum sublata est; sed est sublata in reactu existente: igitur ad rem existentem non potest terminari alia actio, consequenter repugnat reproductio sui ipsius, quæ supponit causam sui ipsius reproductivam jam esse reductam ad actum existentiae per primam actionem.

Hæc ratio impugnat quoque possibilitatem reproductio-
nis mediatae. Addo: reproductio mediata non potest in-
tendit ut medium, nam supponit terminum suum totaliter
aliunde existentem, nec potest intendi ut finis; quia nullam
habet æstimabilitatem, aut bonitatem, nisi per ordinem
ad terminum ponendum. 2. Supponit factum, quod de-
beret facere: ergo est ens superfluum. Nec sufficit dicere,
reproductionem per accidens tantum fore superfluam, cum
potuisse esse prima actio; hinc enim sequitur, saltem de-
cretum Dei volens reproductionem in his circumstantijs,
esse essentialiter superfluum, cum sit his circumstantijs es-
sentialiter alligatum: nam voluntas medij fertur eodem
modo in finem, quo medium: si ergo medium ad finem
superfluum est; idem hoc impingitur voluntati extendenti
se ad hoc medium, sed hoc falum est: ergo &c.

Probatur quoque tertiae partis membrum: alterutra duarum actionum prudenter & utiliter intendi non potest: er-
go complexum ex ultraque repugnat. Prob. ant. purum me-
dium seu actualis determinatio ad certum finem conse-
quendum prudenter non intenditur, quando Deus videt,
sine hoc determinato medio adæquate finem abtentum iri;

sed Deus videt, sine alterutra actionum adæquate obtentum iri finem: ergo alterutra prudenter non est intendibilis, consequenter neque complexum ex utraque.

Ob. 1. Res actu existens & dependens à Deo habet indifferentiam, ut etiam à se dependeat: ergo ad hanc indifferentiam tollendam utiliter intendi potest actio, quæ erit reproductio. Rz. possibiliterem actionis non colligi ex indifference termini, quam habet ad actionem, sed quam habet, ut existat in rerum natura: ergo repugnat actio supponens existentiam termini sui aliunde.

Ob. 2. Finis & officium actionis duplex est; scilicet debet date esse effectui, & illum facere dependentem à determinatis causis: ergo non erit inutilis, modò unum ex praedicto officio possit consequi, sed reproductio aut altera actio totalis consequitur unum; dum facit effectum dependentem à se, vel ab alia causa totali: ergo. Rz. si secunda actio praecise intendi potest, quia facit effectum dependentem ab aliqua causa, hanc actionem habere se ipsam pro fine, quod repugnat; finis enim actionis foret hæc dependentia, quæ est ipsa actio.

ASSERTIO. XVI. *Actio inter causam efficientem & effectum indifferentem est entitas realiter distincta ab utroque, & quidem modalis.* Transiens recipitur in solo passo, & identificatur cum passione, ac duratione rei. Si ignis B actu dependet ab igne A. cùm potuisse dependere vel à solo Deo, vel à Deo, & simul ab alio igne, dico, hanc dependentiam esse actu distinctam ab igne A. quam ab igne B. Prob. ex separabilitate: posset dari entitas ignis A & ignis B. quin tamen hic esset effectus illius; consequenter ab illo non dependeret; ergo actu ab illo dependere importat aliquid realiter distinctum ab utroque: hæc dependentia est actio: ergo &c. Est autem entitas positiva; quia agere & operari dicit exercitium reale: ergo actio etiam debet esse quid reale & positivum, sed modale, cùm sit ultima formalis determinatio sublativa indifferentiæ hujus effectus cum hac causa.

Quando causa efficiens non simul est causa receptiva ef-

fectus, tunc actio ponens effectum vocatur transiens, immanens autem, cum inest causæ efficienti. Transeuntem itaque dicimus, recipi in passo, non in agente. 1. quia passio juxta omnes recipitur in passo: ergo etiam actio, cum actio & passio sint formæ identificatae: quod sic ostenditur: eadem est forma, quæ agens movet, & passum movetur, sicut eadem est via Tebis Athenas, & Athenis Tebas, ut loquitur Aristoteles; sed forma, quæ agens movet, est actio, forma, quæ passum movetur, passio: ergo actio & passio est eadem forma. 2. Sit passio distincta ab actione, utique etiam ipsa per actionem produci debet, cum sit creatura sibi insufficiens; non per distinctam à se, quia passio non est indifferens, ut procedat ab alijs causis; respicit enim has determinatas non secùs ac actio: ergo in hoc saltem casu actio & passio identificantur.

Identitas actionis cum duratione suadetur hoc argumento: Nihil potest esse causa physica efficiens, aut sustentativa suæ durationis; sed juxta Advers. idem deberet esse causa physica suæ durationis, quam non concedunt creari, verum volunt, eam generari: ergo &c. Prob. maj. in tantum aliquid est causa physica suæ durationis, in quantum exigit hujus classis unam præ alia alterius classis, sed non potest exigere unam hujus classis tantum, nisi res concipiatur existere post immediatum antecedens instans, saltem possibile; res enim secundum se accepta habet indifferentiā ad durationem cuiuscunque classis, duratio quoque indifferens est, ut ponatur, vel non ponatur: ergo res in tantum est causa physica hujus specie durationis, in quantum concipitur existere post immediate antecedens instans; sed hoc pacto jam formaliter durat, antequam concipiatur habere durationem pro posteriorē naturâ primū acquirendam; effectus enim formalis rei existentis post determinatum instans formaliter habetur à duratione: ergo res formaliter duraret, antequam haberet durationem à se dependentem, quod repugnat.

Ob. Causa physica ut agat, non minus debet esse in loco, quam in tempore; sed sufficit, ut pro priore naturâ sit

tantum radicaliter in loco; ergo sufficiet etiam, modo sit radicaliter in tempore. Resp. neg. paritatem; ex una enim parte manifeste patet, quod homo, & alia animalia per motum localem producant suam ubicationem: ergo pro priore natura nondum possunt esse formaliter in loco: ex altera vero parte nobis non ita constat, quod simus causa durationis. Quin inferimus, si foret res causa suae durationis, hoc ipso pro priore natura eam debere formaliter durare; non enim foret aliter causa hujus durationis, quam ut existens post immediatè antecedens instans, haec autem denominatio formaliter imbibit durationem.

ASSERTIO XVII. A posteriori recte demonstratur existentia Dei, cuius concursus immediatus semper requiritur ad productionem & conservationem rei cuiuscunque. Concurrit ad omnem effectum, & quidem per eandem actionem cum causa secunda. Probatur 1. membrum: datur Ens productum ab alio; ergo datur Ens improductum, hoc est Deus: ergo datur Deus. Prob. 1. cons. illud aliud vel iterum est productum ab alio producto, vel ab improducto; si posteriorius, habetur intentum, si prius, admittitur processus in infinitum in entibus productis, qui non minus repugnat, quam conclusio deducenda ex praemissis, ad quarum veritatem praesupponuntur aliæ praemissa finita in infinitum. Si dicas, unum productum posse ab alio produci, cuius erat causa, admittis mutuam causalitatem impossibilem. 2. Singula entia sunt producta ab alio: ergo etiam tota collectio; quia singula per conjunctionem cum alijs, non dependunt suum prædicatum, scilicet suam insufficientiam ad existendum: adeoque facta argumentatio penitus similis est huic: singulæ partes compositi sunt substantia: ergo totum compositum est substantia.

Veritatem secundi membra sic deduco: 1. quilibet effectus non minus est sibi insufficientis in sequentibus instantibus ad perseverandum (posset enim quovis tempore destrui) quam erat ad primò existendum; sed ad primò existendum indigebat concursu Dei constitente adæquatam, sufficientiam: ergo pariter indigebit eodem concursu in

sui conservatione. 2. Dei Sapientia immediate se extendit ad omnia cognoscibilia: ergo etiam ejus potentia, quæ non est minor quam Sapientia, se extendet immediate ad omnia producibilia; atqui ad hæc non se extendit, nisi per influxum: ergo &c. Magis dependet creatura in conservari à Deo, quam lux solis à sole; sed hæc necessariò requirit solem pro causa conservativa; ergo ens creatu Deum.

Tertij membra ratio est 1. quia juxta superius probata Deus immediate producit omnes effectus, consequenter etiam actionem causæ secundæ, per quam hæc effectum ponit; ab hac autem actione Deus non minus essentialiter respicitur ut dans esse effectui, quam causa secunda. 2. Effectus non dependet per duplum actionem totalem à diversis causis; hæc Dei & agentis creati actio est totalis; ergo præter hanc alia non debet admitti.

Ob. 1. Opera artis & naturæ in sui conservatione immediate non dependent ab artifice & natura; ergo nec opera Dei pendebunt in sui conservatione immediate à Deo. 2. Causæ intrinsecæ immediate causant effectum, quem Deus immediate non causat; ergo pariter causa efficiens potest producere effectum immediate sine Deo. 3. Si Deus immediate concurrit ad actum peccaminosum, erit causa peccati non aliter quam homo illius causa est. 4. Quilibet effectus essentialiter dependet à Deo; ergo per actionem indistinctam à creatura verò pendet per actionem distinctam: ergo Deus non influit per eandem actionem cum agente creato in effectum. R^z, ad 1. nego paritatem: cùm enim artifex & agens creatum sint virtutis limitatae, impedirentur ab alijs functionibus necessarijs, si conservationi operum factorum continuò vires impenderent, quæ ratio in Deo locum non habet. Ad 2. R^z quemadmodum partes totius habent esse realiter à Deo distinctum, ita possunt per sui communicationem constituere totum, cujus pars intrinseca Deus non sit. Contrà verò cùm causa efficiens creata det esse adquarè distinctum effectui, qui est essentialiter participatio Bonitatis divinæ, non potest intelligi, quomodo sit participatio Bonitatis divinæ, nisi ad illam communicandam Deus in-

influxus. Ad 3. Rz. ideo Deum non esse causam peccati, quia non ex inclinatione & determinatione propria concurrit ad actum peccati. Ad 4. Rz. quemlibet effectum essentialiter exigere, ut dependeat à Deo, non autem semper se ipso immediatè ab illo solo dependere.

ASSERTIO. XVIII. *Accidens solum non potest producere substantiam: immò probabiliùs est, illud ne quidem partialiter influere physicè in effectum substantialem.* Probatur 1. pars: perfectiori causæ debetur perfectior modus operandi, causa principalis est perfectior causâ instrumentalí; & immediate producere substantiam est modus perfectior operandi, quām tantùm immediate producere accidens; universim enim perfectio modi operandi desumitur à perfectione termini producendi: ergo &c. 2. Producere substantiam immediate non est infra perfectionem substantiae; convenit enim Deo: nec supra perfectionem, cùm juxta advers. accidenti adscribitur: ergo. 3. Causa creata adæqua-ta debet continere perfectionem effectus vel formaliter, quod fit, quando est ejusdem speciei cum effectu, vel eminenter, quod fit; quando causa perfectior est effectu; nemo enim dat, quod non habet; sed accidens neque formaliter neque eminenter continet perfectionem effectus substancialis: ergo. Alterius partis ratio est. 1. Substantia immediate concurrit ad productionem substantiae, & est sufficien-ter proportionata effectui, quæ proportio deficit in acci-dente: ergo sufficit concedere accidenti virtutem disponendi subjectum. 2. Quemadmodum accidens non conti-net ullum prædicatum substantiae ut substantia est, ita non debet illi admitti concursus immediatus in substantiam ut substantia est, ne modus operandi excedat modum essendi.

Ob. 1. sàpe non potest assignari causa creata effectus, nisi concedatur immediatus influxus in substantiam soli accidenti, puta quando ex putri nascuntur insecta: in hoc casu autem semper ad Deum recurrere non est Philosophicum. 2. Species non vitalis immediate concurrunt ad actum vitalem, & sol non vivens ad viventia: ergo poterit etiam accidens immediate concurrere ut causa partialis ad effectum

Substantialem. Rz. ad 1. in hoc casu etiam advers. assignandam esse causam principalem ; quamcunque assignaverint , illi nos attribuemus effectum substantialem , non accidenti improportionato. Rz. 2. cum P. Ruiz. non inconvenienter adscribi potest productio substantiae Angelis velut Gubernatoribus universi in defectu causae principalis particularis &c. Ad 2. negatur paritas. Actus enim vitalis continetur sub eadem specie universalis entis , sub quae species intentionalis , & sol sub eadem cum vivente , nempe sub praedicato substantiae : ergo causae instrumentales poterunt se extendere ad effectum contentum sub specie universalis entis. Dein actus vitalis trahit praedicatum aliquod à specie intentionalis , quod habere nequit à potentia principali , nempe quod sit imago talis objecti : hinc mirum non est , si speciei impressa concedatur influxus physicus in actu vitalem.

ASSERTIO. XIX. Causa finalis est id , cuius gratia aliquid fit : cognitio finis probabilius non est pura conditio , sed causalitas ut quo. Definitio causae finalis per se clara est & præcipue conuenit complexo ex fine cui , qui , & quo ; hujus enim obtinendi gratiâ solemus media conquirere , & adhibere. Quod autem cognitio finis non sit pura conditio , prob. Motus ille , quo causa efficiens moveretur à cognita bonitate finis , est exercitium reale positivum , & resultat etiam à fine cognito : ergo debet ab illo resultare , in quantum est aliquid reale ; atqui bonitas futura in se nihil est reale , sed totum reale , quod habet , consistit in cognitione : ergo motus ille resultat ex cognitione ut quo : ergo cognitione non est pura conditio. 2. Sicut se habet species intentionalis objecti ad objectum cognoscendum , ita se habet cognitione ad bonitatem amandam ; sed species non se habet ut pura conditio , sed ut se tenens ex parte causæ ; ergo etiam cognitione Verbo : sicut id , quod videtur , non est species , sed objectum , & quo mediante objectum videtur est species , ita id , quod amatur , non est cognitione , sed bonitas ; & quo mediante hæc amatur , est cognitione : ergo sicut species respectu objecti non est pura conditio , ita nec cognitio

tio respectu bonitatis. Dices: id, quod moveret & allicit causam efficientem ad consecutionem sui per etiudem mediorum applicationem est causa finalis; sed hoc praestat sola bonitas objecto intrinseca, non vero cognitio bonitatis: ergo sola bonitas objecti est causa finalis: consequenter cognitio erit pura conditio. Re. cum distinctione: id, quod moveret ut quod, & ut quo est causa finalis, conc. quod tantum moveret ut quod, nego maj. ad min. pariter dico, solam bonitatem objecto intrinsecam praestare quidem hoc partialiter, non adaequatè.

ASSERTIO. XX. Respectu Dei nullus datur effectus casualis, aut fortuitus, bene tamen respectu causarum secundarum. Fatum inferens necessitatem antecedentem operandi repugnat. Prob. primum membrum: respectu illius causa dicitur aliquis effectus casualis aut fortuitus, qui non fuit praevitus, saltē non cum majore probabilitate; sed omnis effectus prævidetur à Deo distinctissimè singula discernente: ergo &c. Ratio secundi membris est, quia fide & ratione certum est, hominem esse agens liberum; ergo nihil datur inferens antecedenter necessitatē operandipenitū ab homine inimpedibile; hoc antecedens esset fatum activum, puta, corpora cælestia certo ordine & tempore occurrentia, ut voluerunt Ethnici; aut Deus determinans, & tollens libertatem hominis, ut pessimè sentiunt Hæretici; ergo repugnat fatum activum in dicto sensu. Licet autem omnia ita defacto eveniant, prout à Deo prævisa sunt, eveniunt tamen, quia Deus illa vidi dependenter à determinatione libera hominum: ergo illa prævisio, & decretū Dei sequens visionem non laedunt libertatem.

ASSERTIO. XXI. Totum realiter non distinguitur ab omnibus partibus simul sumptis. Repugnat etiam causa totalis intrinseca. Prob. Si forma denominans totum est quid realiter distinctum ab omnibus partibus simul sumptis, illa vel est totum adaequatum, vel inadaequatum? non primum, quia partes evidentiter sunt aliquid totius: non secundum, quia totum inadaequatum & pars sunt idem; ergo totum realiter non distinguitur ab omnibus partibus simul sumptis.

ptis. 2. Totum compositum est concretum, & constat duabus partibus, materiâ scilicet & formâ: materia sunt forma substantialis & ipsa materia, forma verò compositio illarum consistens in unione. ergo totum compositum non involvit aliud præter materiam, formam, & unionem. 3. Si involveret aliquid quartum, hoc foret accidens juxta S. Thomam, quia superveniret enti substantiali jam complepto, quod est materia actuata formâ substantiali. Ratio cur causa adæquata intrinseca repugnet, est; quia omnes partes simul sumptæ deberent esse hæc causa; sed non possunt esse causa, cùm illius nullus effectus sit assignabilis, consequenter partes simul sumptæ potiùs sunt effectus quàm causa.

Dices: omnis causa adæquata debet habere distinctionem realem à suo effectu; sed omnes partes simul sumptæ sunt causa adæquata, & totum est illius effectus: ergo omnes partes simul sumptæ debent distingui à toto; atqui non aliter distinguuntur à toto, quàm quia hoc præter materiam formam & unionem imbibit formam totalitatis: ergo &c. Retorquetur imprimis hoc argumentum: forma totalitatis non distinguitur adæquatè à toto: igitur erit ejusdem pars, & per consequens constituet partialiter causam adæquatam intrinsecam. Ostendant itaque Adversarij effectum distinctum ab hac sua causa adæquata. Rx. directe, negando min. quòd partibus simul sumptis possit convenire ratio causæ, sic enim acceptæ sunt ipse effectus.

Urgebis, quivis effectus procedit à causa adæquata; causa enim, à qua effectus profluit, vel sufficienter illum ponit, vel non? si primum, erit adæquata: si posterius, nondum effectus collocabitur in rerum natura: ergo si totum est aliquis effectus, requiret sui causam adæquatam. Rx. cum distinctione: quivis effectus procedit à causa adæquata extrinseca, conc. intrinseca, nego ant. disparitas inter causam extrinsecam & intrinsecam hæc est: prior dat esse adæquatè distinctum à se, hinc semper poterit assignari aliquid distinctum respectu causæ extrinsecæ: posterior dat effectui illud esse, quod in se habet. Itaque si partes omnes hoc pacto communicant toti suum esse, deperdent denominatio-

minationem causæ, cùm nihil exhiberi distinctum possit, respectu cuius forent causa.

Dices. 2. Partes distributivè & collectivè sumptæ non differunt ex parte objecti: ergo si collectivè acceptæ non sunt causa intrinseca, neque erunt causa sumptæ distributivè. Rz. nego paritatem; partibus distributivè acceptis respondet aliquid saltem inadæquatè realiter distinctum, non item partibus collectivè acceptis: ergo ratio causæ potest attribui partibus distributivè acceptis, non verò partibus collectivè sumptis. Ratio huius rei ulterior est ista: pars in recto dicit entitatem rei, & in obliquo unionem cum reliquis partibus: hinc quoniam pars habet esse realiter distinctum ab illis, erit etiam capax prædicati, quod de se affirmetur, & affirmabile non sit de omnibus partibus, si in recto simul importantur.

De proprietatibus corporis naturalis.

ASsertio. XXII. Motus est actus entis in potentia prout in potentia; probabilius consistit in actione productiva, non verò in unione. Naturaliter non potest idem moveri motibus contrarijs. Prob. Philosophi nomine motus intelligunt formam, quæ actuando mobile relinquit adhuc in illo capacitem alterius formæ, ad quam est via & tendentia cum prioritate originis; subsumo: sed talis forma est actio productiva, non verò unio, quæ prioritatem non habet respectu formæ: ergo &c. Secundæ partis ratio est ista: quidquid absolute movetur motibus contrarijs, replicatur; sed naturaliter nihil potest replicari: ergo neque moveri motibus absolute contrarijs. Maj. prob. replicari est esse in duobus locis adæquatis: jam sic, ibi res est, quæ fertur motu locali; sed fertur e. g. uno motu in orientem, altero in occidentem, quæ sunt duo loca adæquata: ergo res esset in duobus locis adæquatis.

Ob. 1. Implicat ut mobile habeat actionem productivam formæ, & non illo ipso instanti habeat ipsam formam; ergo

ergo motus non ritè dicitur esse actus entis in potentia *pro ut in potentia*. 2. Posito, quòd forma quædam educatur ex materia; sed illi non uniatur, ut sic dabitur actio educativa, & tamen materia non movetur: ergo motus non debet constitui in actione. Rz. ad 1. trans. ant. dist. cons. ergo motus non est actus entis in potentia *privata*, conc. *capace* formæ à se distinctæ, neg. cons. Ad 2. Rz. neg. quòd in dato casu materia non moveatur, licet non habeat terminum motus, quinon ad rationem motus, sed ad rationem mutationis formalis necessarius est.

ASSERTIO XXIII. *Locus extrinsecus* ritè definitur, esse superficies rei immobilis prima. *Locus intrinsecus* seu *ubicatio* realiter distinguitur à loco extrinseco & re locata. Est positiva perfectio sed modalis. Per superficiem rei immobilis venit extrema pars loci extrinseci, seu corporis continentis, quâ corpus contentum tangit; locus enim & locatum juxta philosophum, debent esse simul; sed non possunt esse simul, nisi per contactum superficierum: alias penetrarentur. Præterea locus extrinsecus, oportet, ut sit immobilis, quod prædicatum trahit ab ubicatione sibi intrinseca; repugnat enim, ut corpus habens certæ classis ubicationem, una cum hac aliò transferatur. Distinctio ubicationis à loco extrinseco & re locata colligitur ex separabilitate: nam potest dari entitas rei locata & loci extrinseci, quin tamen entitas rei locata sit in loco extrinseco: sic possum ego existere & potest hæc schola existere, ut tamen non sim in hac schola: ergo me esse in hac schola est aliquid distinctum à me & ab hac schola; hoc distinctum est ubication: ergo &c. Debet autem esse positiva entitas, cùm respondeat exercitio reali scilicet motui, cuius est terminus, & quidem entitas modalis; eò quòd sit ultima essentialis determinatio entium indifferantium ad hanc denominacionem *esse in hoc loco*.

Ob. 1. Si totum Universum aliò transferretur, entia in illo contenta adhuc haberent eandem distantiam à punctis fixis Cæli & centro terræ, & tamen non forent eodem loco: ergo locus male explicatur per ordinem ad puncta fixa &

centrum terræ. 2. Aër ambiens aliud corpus juxta nostram explicationem est illius locus extrinsecus, & tamen moto hoc corpore movetur etiam aër: ergo locus extrinsecus non est corpus immobile. 3. Possum ego desinere esse in cubiculo sine me, & cubiculi mutatione: ergo me esse actu in cubiculo non habetur per formam positivam mihi, aut cubiculo superadditam. Rx. ad 1. in casu posito entia adhuc habitura eandem distantiam à punctis, seu polis Cæli fixis, & centro terræ materialiter, non formaliter acceptis; atqui particularis locus explicatur per ordinem ad puncta fixa formaliter accepta, id est, cum ipsorum determinata ubicatione intrinseca. Ad 2. Rx. aërem ambiensem non nudè acceptum, sed cum ubicatione intrinseca certæ classis esse locum extrinsecum; ut sic autem verè est corpus immobile. Ad 3. Rx. fieri quidem posse, ut ego determinatè immutatus desinam esse in loco extrinseco, sed tunc necessariò immutabitur locus extrinsecus; è converso fieri etiam potest, ut locus extrinsecus determinatè sit immutatus, & ego in illo non sim, at in hoc casu ego necessariò mutationem subeo: ergo ut sim in loco extrinseco, requiro formam positivam mihi superadditam, quæ est ubicatio.

ASSERTIO XXIV. *Naturaliter, non divinitus repugnant vacuum & replicatio rerū loco essentialiter non affixarum.* Vacuum appellamus locum carentem corpore intercepto: hoc naturaliter implicat. 1. à pari, naturaliter non datur penetratio corporum, ut docet experientia, dum nullum corpus occupat locum alterius corporis, nisi id prius loco pepulerit. Dein impedirentur multæ actiones per corporum penetrationem: ergo naturaliter etiam dari nequit vacuum; cum pariter constet, nullum corpus alium occupare locum, nisi in decadentis spatiis aliud subsequatur: præterea ratione vacui multæ actiones impedirentur, cum cælorum influxus per vacuum non possint continuari. 2. Manifestis experimentis convincitur, naturam horrere vacuum; ubi enim periculum vacui imminet, quod vitari non possit, nisi privatis rebus violentia inferatur, naturæ

imperio gravia sursum tendunt, levia deorsum &c. Itaque universalis naturae exigentia semper prævalebit exigentia rerum particularium, excludetque vulnus sibi infensissimum.

Idem de replicatione monstratur. 1. Naturaliter duo corpora non possunt esse simul eodem loco & penetrata: ergo neque unum potest esse in duobus locis adæquatis. 2. Tolleretur in nobis principium naturaliter certum, quo judicamus, realiter esse distincta, quæ eodem tempore sunt in diversis locis adæquatis.

Supernaturaliter tam vacuum, quam replicatio possibilia sunt. 1. quia Deus ut absolutissimus Dominus contravenire potest exigentiam totius naturæ. 2. Probatur specialiter de replicatione circumscriptiva: majus miraculum est, eandem rem esse in duobus locis adæquatis definitivè, vel definitivè & circumscriptivè, quam bis circumscriptivè; nam in priore casu sit contra duplicem rei replicatam exigentiam, quâ petit esse uno dantaxat loco, & habere partes extra partes, in posteriore vero negligitur unicam tantum exigentiam, & tamen hoc non obstante prima replicatio possibilis est, & datur in SS. Eucharistia: ergo & secunda divinitus potest evenire.

Ob. 1. Si quis locus realis est repletus corpore, tunc nullum corpus posset moveri, quod utique à veritate ab ludit; prob. tamen: si quod movetur, vel occupat locum alterius corporis inimici, vel istud loco pellit: in casu priori datur penetratio corporum, & quidem naturaliter, in posteriore redit quæstio de altero corpore, an, si moveatur, debeat occupare locum tertij corporis, & sic deinceps. 2. Si columna per machinas in aëre suspensa demittatur ad terrum planum, unico instanti imponetur piano, & sic in medio plani erit vacuum; aër enim totus ad margines propulsus est. Rg. ad 1. ad hoc ut corpus aliquod moveatur, necesse non esse, ut istud pellat alterum, hoc tertium, & sic sine fine, sed sufficere, ut aër alicubi magis condenseretur: atque hac ratione tandem quies corporum obtinetur. Ad 2. Rg. non totum aërem discedere, sed instar tenuissimæ telæ exten-

xtendi, non secūs ac aqua extenderetur, si plāno fuisset perfusa. Dein nunquam planum ita lēvigatur, ut non reperire aliquas scabrities & cavitatulas ope microsciorum, in quibus aēr aliquis delitescat, & rarefactionem atiatur.

ASSERTIO XXV. *Duratio realiter distinguitur à re duante & tempore extrinseco, quod est numerus motū secundum prius & posterius.* Probatur ex separabilitate hoc modo: fuit hesternus motus cælorum & fuit Adamus, & tandem heri non fuit Adamus, ergo si fuisset heri, datum fuisset aliquid ab Adamo, motūque hesterno cælorum distinctum; hoc est duratio & quidem entitas positiva, per hanc enim entia ad quodvis tempus indifferentia participant aliquid ab æternitate Dei. Tempus extrinsecum est successio ordinatissima partium motū, quem evidenter in Cœlis & astris deprehendimus: adeoq; ista successio in mobili obis proposito servit nobis pro mensura extrinseca actionum & motuum nostrorum; sibi ipsi autem talis mensura esse nequit.

Ob. 1. Si Petrus existit, & existit iste motus Cælorum, & ipso existit hodie: ergo Petrum existere hodie non est aliquid distinctum ab ejus entitate, & motu Cælorum. 2. Deus cōexistit rebus creatis sine forma sibi superaddita: ergo etiam ens creatum alteri sine duratione distincta. 3. Hæc duratio posset in me cras poni à Deo: ergo cras me denominaret hodie existere, quod implicat. Rx. ad 1. Ideo n probatione me usum esse tempore præterito, quia in illatis clarè patet separabilitas ab entitate rei durantis, & ab entitate temporis extrinseci: in tempore præsenti illam clarè nou elucet. Cujus ratio est, quia verbum potest nonnunquam sumi cum statu, alias sine statu; cum statu sumitur, quando prædicatum propositionis inest subjecto unic, quando profertur propositio: sic verbum in hac propositione habet statum: Petrus scribit, posito quod Petrus unum scribat, quando profertur propositio. Sine statu sumitur, quando abstrahimus à tempore determinato, quo prædicatum inest subjecto: sic si sensus factæ propositionis

Act iste: Petrus scribit, intellige, aliquo tempore, scilicet vel isto, vel illo, tunc verbum non habet statum. Ex his patet responsio ad objectionem, cuius proin ant. dist. si entitas Petri existit, & existit iste motus Cælorum, hoc ipso existit hodie, si verbum *existit* accipitur cum statu conc. si sumitur sine statu nego ant. & conf. Jam vero verbum cum statu importat præter entitatem rei illud nunc seu durationem hujus classis, quæ est separabilis ab ipsa entitate, hoc ipso quod ista possit ponere sine hoc nunc, seu sine hac determinata duratione. Ad 2. R^e. negando paritatem; Deus enim semper necessariò existit, non vero ens creatum: hoc ergo ut determinato tempore existat, & coexistat Deo, indiget determinativo intrinseco, quod est duratio. Ad 3. R^e. neg. ant. tam parum enim Deus potest ultimatam mei determinationem ad cōexistendum temporis extrinseco nunc in me cras ponere, quam parum hanc meam ubicationem collocare potest in me alibi existente.

ASSERTIO XXVI. Quantitatis effectus formalis non consistit in hoc, quod tribuat materiae partes integrantes; neque in hoc, quod corpora sint actu extensa & impenetrata, sed consistit in proxima radice impenetrationis & extensionis. Evidens est; dari corpora quanta, hoc est, impenetrata, & extensa, ac proinde debent habere in se proximam radicem impenetrationis & extensionis: hanc radicem appellamus quantitatem, quæ talis est naturæ, ut una illius pars connaturaliter loco suo excludat aliam partem similem, facitque, ut materia, aut aliud sibi unitum ab alio penetrari nequeat simili quantitate affecto. Loquendo nunc de officio & effectu formalis quantitatis impugnatur 1. Sententia in assertione proposita. Repugnat, entitatem realiter indivisibilem capacem fieri partium integralium per aliquid à se distinctum & superadditum: ergo materia vel habet independenter à quantitate partes integrantes, vel certè eas à quantitate primum habere non potest; quæ enim semel sunt identificata, semper sunt identificata, & si semel distincta semper distincta. Impugnatur altera sententia: plura quanta possunt esse actu penetrata & non extensa.

tensa, ut patet in membris Christi Domini sub velamine specierum Eucharisticarum penetratis & non extensis: igitur formalis effectus quantitatis non consistit in actuali impenetratione, aut extensione: consequenter in proxima radice exigente actualem impenetrationem & extensionem, cui tamen exigentia Deus supernaturaliter potest contravenire.

ASSERTIO XXVII. *Quantitas realiter distinguitur à substantia, & est subiectum immediatum accidentium sensibilium.* Ita Aristoteles 7. met. tex. 8. ubi ait; *quantitas non est substantia: sed magis, cui hæc primò inest.* 2. *Objetum, quod sensus à tactu distincti immediatè attingunt, est solum accidens:* ergo nec tactus, velut omnium sensuum maximè hebes & crassus, habebit immediatum objectum nobiliorum, sed ejus objectum immediatum est quantitas: ergo hæc non est substantia. 3. In S. Eucharistia destruitur substantia panis, & tamen remanet quantitas; experimur enim, species esse impenetrabiles & habere moleri: ergo quantitas est distincta à substantia. Ex hoc ipso Mysterio probatur alterum assertionis membrum: nani species Eucharisticæ possunt ab agentibus creatis alterari v. g. per calorem frigus, lucem &c. ergo debet adesse subiectum horum accidentium de novo productorum; alias admitteretur agentibus creatis vis creativa, multiplicarenturque miracula sine necessitate.

Dices: exigentia impenetrationis & extensionis partium in aliquo toto est quantitas, atqui materia & forma exigunt hanc impenetrationem & extensionem: ergo &c. consequenter quantitas non distinguitur à substantia. 2. In eo recipiuntur accidentia, ad quod perficiendum ordinantur, sed ordinantur ad perficiendam materiam. Pz. ad 1. exigentiam proximam impenetrationis esse quantitatem, non remotam, quæ cum materia, & etiam cum forma materiali identificatur. Ad 2. Pz. accidentia vel mediatè, vel immediate recipi in eo, ad quod perficiendum ordinantur, non semper immediatè.

ASSERTIO XXVIII. *Unio continuativa est entitas*

modalis distincta realiter ab ubicationibus & reliquo accidentium apparatu extremorum unibilibum. Etiam inter partes substanciales datur unio continuativa tantum accidentalis. Ratio primae partis est, quia continuum distinguitur a contiguo per hoc, quod hujus partes tantum sunt simul, illius vero partes faciunt & sunt unum physicum: ergo plus requiritur ad continuum quam ad contiguum: consequenter unio continuativa non consistit in ubicationibus, aut alijs accidentibus, quae pariter ad contiguum sunt necessaria. 3. Unio essentialis non consistit in intima praesentia extremorum: ergo nec unio continuativa in proxima praesentia extremorum, sed in exigentia talis praesentia. 3. Homo integrè spectatus est causa physica totius ubicationis, quando se ex uno in alium locum transfert: ergo priore naturâ jam habet formaliter unionem continuativam, sed tunc non habet formaliter ubicationes partium: ergo &c. Probatur etiam secunda pars. 1. unio continuativa supervenit enti substancialiter completo tanquam fini cui adæquate distincto ab omni accidente; nam divide lignum in duas partes, utraque erit seorsim substantia completa: ergo & in conjunctione utraque completa fuit; hinc quia utriusque velut suo fini cui unio continuativa supervenit, non potest non esse entitas accidentalis. 2. Una pars materiae aut formæ per unionem continuativam acquirit jus, ut in loco proximo praesens sit alteri parti materiae, vel formæ; hoc jus est separabile a forma & materia connexis unione essentiali; ut patet in divisione ligni continui, aditürque rei substancialiter completæ: ergo est accidens.

Ob. Non tantum homo essentialiter, sed etiam integraliter spectatus est substantia: ergo omnes illius partes debent esse substantia, inter quas est unio continuativa. Re hominem integrum, qui talis non quam talis est, esse substantiam, adeoque necesse non esse, ut unio continuativa sit substantia.

ASSERTIO XXIX. Continuum non componitur ex partibus, quæ per designationem intellectus primum, aut per aliquod accidens unitum sortiantur realē distinctionem: neq;

Ex punctis mathematicè indivisibilibus : neque ex partibus realiter actu semper divisibilibus & infinitis : Sed ex partibus finitis realiter indivisibilibus , virtualiter tamen divisibilibus in infinitum. Prob. 1. pars : quidquid semel est distinctum , semper est distinctum ; sed partes continui post designationem sunt realiter distinctæ , ut fatentur Advers. ergo etiam ante designationem erant distinctæ . In secunda sententia salvari non potest , quomodo possit fieri linea curva , aut alia extensio : Item diameter alicujus quadrati foret æqualis costæ , minor circulus majori ex eodem centro ducto ; basis alicujus pyramidis minor linea apici pyramidis vicinore &c. quæ omnia repugnant . In tertia sententia admittitur infinitum actu in quantitate formalí impossibile ; item nullum tempus finiri posset , nec pertransiri spatiū , quod apertè falsum est . Restat ergo ultima sententia , quæ expeditè has difficultates dissolvit , & aliunde monstrat , ubicatione quacunque semper esse possibilem minorem & minorem , ut tamen nunquam ad minimam deveniatur ; divisibilitati ubicationis respondet divisibilitas motus , temporis , & cujuscunque rei materialis ; quæ omnia propter chartæ angustias fusiùs deduci non possunt .

Ob. 1. Pars aliqua quantitatis realiter indivisibilis , & virtualiter divisibilis in infinitum tantam actu continet extensionem , quantam continerent partes minores & minores , quibus illa æquivalet ; sed partes minores continerent extensionem infinitam , si existerent ; forent enim infinitæ : ergo etiam particula quantitatis realiter indivisibilis actu continet infinitam extensionem , quod apertè falsum est . Confir. nulla pars continui continet virtualiter tantum minores finitas : ergo infinitas . 2. Si Deus loco durationis realiter indivisibilis , produceret minores , quibus illa æquivalet , illæ nunquam finirentur ; essent enim infinitæ , & essentialiter una alteri continuò succederet ; sed Deus potest producere minores , quibus duratio indivisibilis æquivalet : ergo &c. Hinc sequitur , etiam primam durationem realiter indivisibilem finiri non posse , quod utique verum non est .

R^e. ad 1. nullam partem continui realiter indivisibilem, & virtualiter in infinitum divisibilem æquivalere actu minoribus & minoribus categorematicè infinitis, sed tantum syncategorematicè infinitis; huius autem infiniti pars aut collectio quæcunque actu existit, aut potest existere, tantum est finita, nec facit majorem extensionem, quam habet prima pars realiter indivisibilis, cum illius collectio-
nis constitutiva tantum communicarent spatium æquale illi, quod pars realiter indivisibilis occupat. Ad 2. pariter R^e. Deum semper producturum collectionem finitam mino-
rum durationum, si quas durationes substituere velit uni re-
aliter indivisibili, cum repugnant durationes actu infini-
tæ; sicut ergo quævis collectio finita certo tempore finitur,
ita etiam duratio realiter indivisibilis finem habet.

ASSERTIO XXX. Infinitum in quantitate formaliter categorematicum repugnat, non Syncategorematicum. In-
finitum est, cuius semper est aliquid extra accipere. Divi-
ditur in infinitum actu seu categorematicum, cuius partes
pro aliquo tempore determinato vel simul dantur, vel da-
tæ sunt: & in syncategorematicum seu potentia, cuius par-
tes pro quovis determinato tempore tantum sunt finitæ,
ita tamen ut quavis collectione finita posita sit alia si-
ne fine possibilis. Itaque Prob. assertio: 1. Repugnat ens
non contentum sub certa specie, aut non habens essentiam
consistentem in indivisibili (terum enim essentiæ sunt im-
mutabiles & se habent sicut numeri, qui per additionem
vel detractionem deperdunt essentiam priorem) sed infinitum
actu non haberet essentiam consistentem in indivisibili,
cum neque per additionem, neque per detractionem
mutaretur: ergo. 2. Repugnat species, quæ cum nullo
individuo sit identificata, sic repugnat homo, qui nec sit
Petrus, nec aliud individuum hominis; sed infinitum actu
esset species, & non identificaretur cum aliquo individuo;
nam de ratione individui est, non posse dividii in plura e-
iusdem rationis; atqui quodvis infinitum potest dividii in
plura infinita æqualia: ergo nullum infinitum potest esse
individuum. 3. Pars totius physici non potest esse æqualis
toti;

toti; sed pars infiniti esset æqualis toti, foret enim infinita, & unum infinitum nequit esse majus altero. Imò infinitum haberet partes & non haberet: haberet ex suppositione, non haberet, quia illud non est pars totius, quo realiter ablato, manet totum; sed quavis re ablata ex infinito, adhuc maneret infinitum: ergo nulla talis res esset pars infiniti. 4. Daretur numerus finitus maximus repugnans; sit enim linea continua infinita hinc in ortum extensa; distabit illius aliqua pars finitè à proxima & dein ab aliquot sequentibus, ab alia verò infinitè, cum qua, ubi ubi tandem, connectetur; in illa connexione verò partes versus occasum constituent numerum finitum maximum, utpote qui per adjectionem unitatis evadit infinitus.

De Natura Cælorum.

ASSERTIO XXXI. *Ens creatum nec permanens nec successivum potuit esse ab æterno.* Prob. Si Angelus e. g. potuisset esse ab æterno, vel habuisset durationem indivisibilem usque huc, vel divisibilem? non primum, alias quoque possibilis foret alia duratio indivisibilis pro seculura æternitate Angeli, imò non appareret repugnantia in duratione indivisibili æquivalente utriusque superiori; atqui per talem durationem indivisibilem æquaretur divina æternitas, non secùs ac per intellectum creatum simpliciter omnia perfectissimè intelligentem Intellectus divinus: ergo si repugnat ejusmodi intellectus creatus, repugnabit quoque duratio ejusmodi indivisibilis, & illæ dux, quibus hæc unica æquivaleret. Non secundum, alias foret possibile infinitum actu in durationibus infinitis. 2. In creatura successiva ab æterno daretur numerus finitus maximus secundum argumentum quint. superioris assertionis: tempus finitum longissimum; sicut enim hoc instans à quibusdam prioribus finitè tantum distat, ita infinitè distat ab alijs in serie durationum ab æterno: ille ergo cumulus durationum erit tempus finitum longissimum, post quem immediate sequitur instans, à quo hoc determinatum infinitè dividendum est.

Ob. 1. Ens creatum potuit esse omni eo tempore, quo non fuit; sed non fuit ab æterno; ergo &c. 2. Anima nostra tamdiu durabit, quamdiu Deus: ergo etiam potuit durare tamdiu, quamdiu Deus, scilicet ab æterno. 3. Quandocunque existit causa expedita & completa ad operandum, potest operari, talis causa est Deus ab æterno existens; ergo. 4. Si sol extitisset ab æterno, produxisset infinitos effectus, nempe lucem, calorem &c. ergo Deus ab æterno existens saltē debet potuisse creaturem ab æterno producere. R^e. ad 1. Ens creatum potuisse esse pro omni anteriore tempore determinato, non verò pro omni indeterminato, seu pro collectione involvente durationes actu infinitas. Ad 2. R^e. per hoc nostram animam duraturam tamdiu, quamdiu Deus, quod post quamvis finitam durationem habitura sit aliam finitam, & hoc sine fine, non autem duraturam per entitatem indivisibilem & quantem Dei æternitatem à parte post, vel per collectionem durationum actu infinitam. Sic concedo pariter, animam nostram capacem fuisse durationis finitæ anterioris & anterioris sine fine, non autem fuisse capacem durationis & quantis æternitatem Dei à parte antè. Ad 3. R^e. negando suppositum, supponit enim argumentum, possibilem esse causam adæquatè completam ab æterno ponendi creaturam pro æterno. Ad 4. R^e. admisso uno impossibili facile deduci posse aliud impossibile; nego itaque fieri potuisse, ut sol ab æterno existeret: unde sublatâ causâ effectus ab æterno existentis, hoc ipso tollitur effectus, utpote repugnans.

ASSERTIO. XXXII. Cæli sunt corpus compositum ex materia & forma; prior est ejusdem rationis cum sublunari, posterior diversa à formis sublunaribus. Juxta S. Scripturæ Interpretes cæli fuerunt ex aqua generati: ergo materia aquæ est pars cælorum, consequenter cæli non sunt corpus simplex. 2. Corpus simplex haberet perfectiorem essentiam quam homo, cum foret minus à materia dependens: ergo illi competeret nobilior modus operandi, atque adeò posset cælum elicere actus intellectus & voluntatis meritorios & demeritorios, hoc falsum est, cum cælum careat anima.

animâ. Alterius membris ratio est 1. quia cæli videntur secundum multos ex aqua generati. 2. De ratione materiæ est esse subiectum indifferens ad quamcunque formam, ut diversæ species rerum ad ornatum universi facientium exsurgant: igitur cælorum materia non tantum debet posse formis cælorum aptari. Prob. etiam 3. membr. 1. Formæ cælorum convenient proprietas nulli formarum sublunarium communis, scilicet motus circularis: hæc proprietas arguit diversitatem suæ formæ ab alijs: ergo. 2. Superiora corpora ab inferioribus rectè dicuntur specie differre; habent enim hunc ordinem ex natura rei & non tantum per accidens: ergo habent etiam formas specie diversas à formis sublunaribus.

ASSERTIO. XXXIII. Probabilius omnes cæli sunt solidi. 1. in hac sententia perfectius explicantur textus S. Scripturæ, in qua legimus, *instar pellis & tabernaculi ex passos esse, firmatos verbo Domini*, item futurum, ut *sicut fumus liquecant &c.* 2. Magis salvatur perfectio operis divini, in quo præcipue sapientia Dei debet elucidere; si enim cæli liquidi sint: ratione illorum possent moveri sidera sine ordine, quem constanter experimur quoad distantiam à terra &c. quod autem ita moveantur, tantum Angelis, non operis perfectioni foret adscribendum, 3. In hac sententia circa penetrationem corporum possunt salvari observationes mathematicæ per circulos excentricos & epicyclos. 4. Major tribuitur Angelis perfectio, si immoti cælos movere possunt, hoc sit in nostra non in opposita sententia;

ASSERTIO. XXXIV. Moventur ab Intelligentijs non à forma intrinseca saltem non adæquatè. Quidquid est indifferens ad motus oppositos, quorū unus æquè illi bonus est, ac alter, determinari debet à principio cognoscente ad unum motum præ alio, ut patet inductione; sed cæli sunt indifferentes ad motum ab oriente in occidentem, vel viceversum ab ortu in occasum, & unus præ alio motu illis non est melior: ergo determinantur à principio cognoscente ad motum præsentem, hoc illis unitum non est; ergo debet illis esse assistens, quod est Angelus, non brutum aut homo

propter imperfectionem potentiarum cognoscitivarum : neque Deus , qui solus omnia non operatur : sed subordinat agentia creata. Dices : lapis v.g. habet intrinsecam vim se promovendi versus centrum terrae : ergo ejusmodi vi intrinseca non destituentur Caeli ad motum circularem conducente. R. neg. parit. lapis enim non est indifferens ad motus oppositos , quemadmodum Caeli sunt.

De Generatione & Alteratione.

ASSERTIO XXXV. Generatio substantialis est mutationis totius in totum nullo sensibili remanente ut subiecto eodem. Non datur in accidentibus resolutio usque ad materiam primam. Loquimur de generatione substantiali , prout ab agentibus creatis fit : haec ergo est mutationis totius in totum (totum aliquod jam potest dici mutari in aliud , modò una illius pars destruatur , cujus loco succedat alia in eodem officio , scilicet in complenda materia) talis mutationis totius in totum haberi etiam potest in generatione accidentalis , ut quando aqua ex frigida fit calida. Itaque ad differentiam generationis substantialis additur : nullo sensibili remanente ut subiecto eodem : sensus est : non debet remanere idem sensibile subjectum denominationis ; subiectum autem denominationis accidentium est totum substantiale : cum ergo in generatione substantiali producatur novum substantiale totum , patet , quod in illa non maneat idem sensibile subjectum denominationis. In tali mutatione de priore toto non remanet alia pars substantialis praeter materiam primam , ut mox probabimus , manent tamen aliqua accidentia in novo genito , quae prius erant in corrupto. Nam qualitates sensibiles recipiuntur immediatè in quantitate , & haec immediatè in materia prima ; quia materia ut disposita requiritur pro priore natura ad formam materialē : ergo etiam quantitas , quae est præcipua & prima dispositio materiae ad formam : ergo forma non potest esse partiale subjectum sustentationis quantitatis ; alias eodem

dem instanti forma esset causa quantitatis & hæc formæ, quòd repugnat. Jam sic: accidentia, & præcipuè quantitas non pendent in sui productione à forma: ergo nec in conservatione: ergo poterit cum materia transfire ad novum genitum. 2. Homo repente mortuus habet accidentia, quæ habuit vivens, v. g. calorem in corde, si frigore aut nivibus oppressus occubuit, figuram cicatrices &c. ergo non fit resolutio usque ad materiam primam in accidentibus.

ASSERTIO. XXXVI. *In viventibus non datur forma corporeitatis, aut formæ partiales carnis, offis &c.* Docent Scotistæ, in viventibus præter materiam & animam dari aliam formam substantialem, quæ viventi tribuat denominationem corporis; hanc volunt remanere, quando ex vivente fit cadaver, aut aliud vivens. Contra hos prob. assertio. 1. Anima rationalis e. g. unita materiae constituit completum substantiale, abstrahendo ab omni alia forma substanciali; si enim etiam juxta Advers. forma lapidis, aut elementi sola cum materia facit completum substantiale, cur non longè magis id præstabit anima velut forma nobilior? 2. Ex cadavere fit vermis, ex verme cadaver: ergo datur generatio sine corruptione, & corruptio sine generatione contra receptū axioma. Hæ ipsæ rationes probant superfluitatem formarum partialium. Præterea si anima potest exigere pro diversis membris formas partiales diversas, qua: fint immediata exigentia diversarū dispositionum pro diversitate membrorum, cur non poterit animæ adscribi proxima & immediata exigentia dispositionum, ut caveatur superfluitati rerum?

ASSERTIO. XXXVII. *Accidens naturaliter non potest transfire de subjecto in subiectum inhaesionis.* Accidens per dissolutionem unionis cum suo subjecto amisit jus ad existendum; natura vero non paeca sed liberalis est, dum pluribus vult indulgere beneficium existentiae. Hinc Philosophus ait: *non datur redditus à privatione ad habitum.*

ASSERTIO. XXXVIII. *Ad conversionem non requiritur destruicio termini formalis à quo, neque nova productio ter-*

mini formalis ad quem, sed sufficit, ut prior desinat connedit cum communi tertio, alter verò incipiat illi copulari. Conversio est transitus rei in aliam rem : in qua conversione debet attendi terminus à quo, & ad quem transitur : hic terminus vel est totalis, vel formalis : totalis terminus à quo est totum præcedens, & ad quem illud totum, ad quod transitur : sic quando ex ligno fit ignis, terminus totalis à quo est totum lignum, & totus ignis terminus totalis ad quem : terminus formalis à quo forma ligni, & forma ignis terminus formalis ad quem. Ut ergo fiat conversio, debet terminus totalis à quo destrui, & terminus totalis ad quem produci. Ratio est ; quia quamdiu antiquum totum manet, non fit transitus rei : ergo nec conversio. Jam verò ad conversionem non requiritur, ut terminus formalis à quo destruatur, neque ut terminus formalis ad quem de novo producatur. Prob. 2. membr. substantia panis in S. Eucharistia verè convertitur in Corpus Christi, quod est terminus formalis ad quem, sed Corpus Christi de novo non producitur : ergo. 2. Forma ligni non magis dicitur converti in formam ignis, quando ex ligno fit ignis, quam forma cibi in formam hominis, sed forma hominis de novo non producitur ; ergo ad conversionem non requiritur productio termini formalis ad quem.

Sed neque terminus formalis à quo debet destrui, 1. Eo modo debet desinere terminus formalis à quo, quo modo debet incipere terminus formalis ad quem ; nam contrariorum eadem est ratio ; sed sufficit ut iste de novo incipiat nec nisi communi tertio : ergo sufficit, ut alter cesset nec nisi deinde remaneat in rerum natura sive non. 2. Terminus formalis à quo tantum opponitur termino formalis ad quem quoad inexistentiam respectu ejusdem subjecti : ergo sufficit, ut prior non existat subjecto, quod fieri potest, et si non penitus tollatur è natura rerum.

ASSERTIO XXXIX. Intensio qualitatum corruptibilium non fit per majorē depurationē à contrario. Quæstio est, quo pacto subjectum aliquod fiat magis calidum, frigidum &c. Dicunt aliqui per hoc, quod subjectum plus de qual-

qualitate contraria deperdat, v. g. calidum de frigore, remanente eadem entitate caloris. Sed contra : lux intenditur, & tamen non habet qualitatē sibi contrariam, uti etiam gratia sanctificans intendeatur in Beatissima Virgine, quæ non habuit contrarium, scilicet peccatum. 2. Si subjectum plus de qualitate contraria deperdit, tunc hæc per partium deperditarum conjunctionem fuit intensa : ergo intensio non consistit in entitate indivisibili.

ASSERTIO X L. Nec consistit in productione novæ qualitatis perfectioris destructa imperfectiore : neque in majore radicatione in subjecto. Prob. 1. memb. Habitū dum agit, intenditur ; ergo illius intensio non consistit in destructione prioris, & in productione novi perfectioris habitū ; aliàs res eo instanti, quo agit, destrueretur. 2. Etiam remissio deberet explicari, quòd fiat per productionē imperfectioris qualitatis : ostendant ergo Advers. in ferro ignito & libero ab agente contrario, quid successivè imperfectiorem & imperfectiorem calorem producat? Thomistæ volunt, intentionem fieri per maiorem radicationem ejusdem qualitatis in subjecto : hanc radicationem aliqui constituunt in perfectiore qualitatis existentia, alij in perfectiore educatione, alij in unione perfectiore qualitatis cum subjecto. Sed contra : existentia non distinguitur ab essentia : ergo. 2. Qualitas ut existens, educta, & unita operatur, & operando intenditur : ergo pro priore naturâ jam habet existentiam, educationem, & unionem; consequenter pro posteriore naturâ nequit aliam recipere, nec etiam pro posteriore naturâ potest deperdere eam, quam pro priore naturâ habuit.

ASSERTIO X LI. Intensio qualitatum fit per additionem gradus ad gradum, qui probabilius sunt heterogenei. Prioris ratio est ; quia extensio explicari debet per hoc, quòd qualitatis partes realiter distinctæ & similes recipientur in diversis partibus subjecti : ergo intensio bene explicatur, quòd eidem parti subjecti plures qualitatis partes insint. 2. In remissione successiva qualitatis deperduntur plures partes distinctæ ejusdem qualitatis : ergo in extensione ac-

quiruntur. 3. Hoc pacto intelligi potest quomodo qualitas agendo intendatur. Prob. etiam altera pars. 1. hæc sententia potest dare rationem ex natura rei evidentium experientiarum, quod non potest contraria. Certum est 1. simile non agere in simile v. g. calidum ut 4. non intendit aliud calidum ut 4. Ratio est, quia quintus gradus caloris cum sit entitas perfectior, nequit produci à quarto aut alijs imperfectioribus. Advers. dicunt, Deum debere inhibere ejusmodi intensionem, utpote noxiam universo; alias enim semper daretur summa intensio, & mixta resolventur in elementa. Sed contra: ergo, infero, Deus non fecit talia media, ex quibus naturaliter sequeretur summa intensio, talia media sunt gradus homogenei: ergo &c. 2. Major intensio est major perfectio, quam pura extensio ejusdem qualitatis: ergo vis productiva majoris intensio-
nis est perfectior, quam virtus non se extendens ad produc-
tionem majoris intensio-
nis: octavus gradus potest majo-
rem intensionem producere, quam tertius, quartus &c.
ergo habet majorem virtutem activam sibi identificatam:
ergo etiam octavus gradus erit perfectior tertio, quar-
to &c. consequenter dissimilis. 3. Primus gradus facilli-
mè introducitur in subjectum v. g. calor in aquam, difficil-
limè supremus; hujus experientiæ causam expeditissimam
reddit sententia nostra, quam Adversariorum destituitur.
Imprimis omnes gradus caloris in igne ad aquam applicato
recepti habent virtutem producendi primum gradum calo-
ris in subjecto applicato, non item omnes possunt produ-
cere gradum octavum, sed forte unicus, nempe octavus:
hinc mitum non est, facillimè introduci gradum primum
caloris in aquam, cum habeat tot causas sui productivas ap-
plicatas, supponatque subjectum sui capax; difficillimè au-
tem in aquam introduci octavum, pro quo introducendo
unica causa laborat.

Abstinui inferre Adversariorum argumenta contra po-
steriores Assertiones, partim ne libellus ultra meditatos
limites excresceret, partim ut uberior esset disputandi
locus, & lingua tantisper defessi calamis

Approbatio Theologica.

Compendiosa hæc Philosophiæ Naturalis doctrina , cùm præter gratissimam brevitatem , perspicuâ insuper claritate ac soliditate præcipuas ejusdem difficultates proponat absque ullo in Fide ac bonis moribus vel minimi nævi periculo , non potest non utilissima illa accidere non solum Philosophici Doctoratus Dominis Candidatis , sed & omnibus veræ Sapientiæ Studiosis : dignissima proinde , quæ typis impressa publici juris fiat ,

*Joannes Hader S. J. Theol.
Professor Ordinarius p. t.
Decanus.*

Approbatio Philosophica.

Hæc compendiosa Physicæ disputatio , cùm plures ejusdem difficultates amænâ methodo , & solidâ doctrinâ dilucide explicet , meretur in perpetuam Suorum memoriam , & plurimorum utilitatem lucem & certamen publicum .

Ita censet

*Rudolphus Belleci Soc. JESU
Philosophia Professor Ord.
Loco Decani.*

